
 PARS PRIOR.

§. I.

Quisquis mecum eruditissimam Card. Archiepiscopi mechliniensis *Declaracionem* de Doctorum Lovaniensium Sententiis vel legendo salutarerit, ex eâque primas duas Quæstiones iis Doctoribus propositas cum eâ, quæ se ab ortu Bonnensis Academiæ ad hanc usque diem in eâdem explicuit, Doctrinâ comparaverit, is, fateor, ægre sibi persuadebit, analogiæ aliquid inter utrosque esse Magistros. Ea est enim omnium de Bonnensibus opinio, Episcoporum Juribus non tantum nihil ab iisdem detrahi, sed concedi potiùs plus, nimiumque; ad prolatandas quippe istorum Jurium fines in hanc usque diem eos omnem operam, studiumque contulisse suum, notius est, quàm ut pluribus à me exponi debeat. Contra dubitabat jure de *Lovaniensibus* Card. Archiepiscopus, Episcopo an inimpeditam à Christo Apostolis datam docendi facultatem essent concessuri. Fateor, inquam, ità rebus penitus non discussis mihi objici posse, me nodum in scirpo quærere, & aliena Delicta innocuis summam per calumniam adscri-

bere velle. Absit à me malum isthoc, quod abominor, & in humanae vitæ Societate ab ingenuis tolerari non potest. Verbis igitur ut stem meis, ponam Quæstiones primas duas:

I. *An Episcopi jure divino habeant omni tempore per se vel alios jæs docendi & instruendi, non tantum catechizando, prædicando, sed etiam Sacram Theologiam tradendo eis, qui ad statum Ecclesiasticum aspirant?*

II. *Utrum illud Jus possit impediri, aut restringi per Potestatem laicam?*

Quid Facultas Lovaniensis ad has quæstiones responderit, constat ex ejusdem Literis diei 13 Martii 1789 ad Eminentissimum Card. Archiepiscopum datis; quid verò Rector Universitatis Bonnensis eodem tempore perquam magnificus responsurus ad easdem fuisset, legitote: „ Quid sub „ *Josepho Clemente*, inquit in *historiâ genericâ* *) „ *Universitatis Bonn.* pag. 76. „ Hoc sæculo ineun- „ te circa Bullam *Unigenitus* actum fuerit, silentio „ præterire haud possum, qui, suæ potestatis Ar- „ chiepiscopalis haud memor, Bullam in Conventu „ minoritico Colonienfi à Facultate theologica, ceu „ dogmaticam & fidei Regulam adsumptam pro „ suis Ecclesiis publicaverat, sed pro Ditionibus „ austria-

*) Entstehungsgeschichte der bönnischen Universität 1786.

„austriacis Juri suo diocesano Coloniensi subjec-
 „tis in gravissimam *Josephi I.* inciderat offensam,
 „atque illius ad suggestionem facultatis prædictæ
 „facta Publicatio Bullæ *unigenitus* ceu Regulæ fidei
 „in Ditionibus austriacis absque effectu mansit.
 „Quæ ex facto hoc Corollaria fluunt, aliis dedu-
 „cenda relinquo.“

Corollarium I., quod inde deduci vult *Hederichius*, est igitur hoc: *Toties* tumque *Episcopos*, etiam si *Archiepiscopi* fuerint, *sua potestatis immemores esse*, quoribus cumque suis subditis *Laicæ Potestati* parentibus, non prærequisitâ impetratæque ejusdem *Potestatis* consensione articulum fidei promulgant. II. *Laicos Imperantes* ab itâ *Docentibus* sive *Episcopis*, sive *Archiepiscopis* gravissimè offendit. III. *Offensos justè obniti*, & itâ impedire posse, quo minus sic prædicata *Episcoporum Doctrina* à suis accipiatur subditis, solumque fortietur effectum. Sum equidem alius ab illo *Universitatis Bonn.* Rectore perquam magnifico, nihilominus tria ista Corollaria justè à me ex ejus *Narratione* deducta esse, sana mea *Logica* præstet. Quàm sinistra falsæque cæterùm hæc ejus historia sit, quàm ineptè & non suo allata loco, quàm eâ *novæ* se addictum *Ecclesiæ* profiteatur, quàm non *Vocem Regula fidei* intelligat, illiusque ludat post *Febronium* æquivoca-